Caput III

A impetrat. Lex operum dicit, Non cõcupiſces: lex fidei dicit, Cùm ſcirem quia nemo poteſt eſſe cõ-
Sapien. 8. tinens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapiẽtiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum, adii dominum & deprecatus ſum. Ipſa eſt illa ſapientia quæ pietas vocatur, qua colitur pater luminum, à quo eſt o-
Iacob. 1 mne datum optimum & omne donum perfectũ. Colitur autem ſacrificio laudis, actionibúſque gratiarum, vt cultor eius non in ſeipſo, ſed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus, fac quod iubeo: lege fidei dicitur deo, da quod iubes. Non ergo per legem operum excluditur gloriatio eorum, qui cum ſibi iuſte videntur viuere, ita gloriantur quaſi non acceperint, ſed per legem fidei, quia per eam quiſque cognoſcit ſi quid bene viuit, Dei gratia ſe habere, & vt perficiatur in dilectionem iuſtitiæ, non ſe aliunde cõſequuturum. In lege itaque factorum, eſt Dei iubentis iuſtitia: in lege autem fidei, ſubuenientis miſericordia. Hæc eſt enim lex fidei, qua credimus & oramus
B per gratiam nobis donari, vt faciamus quod per noſmetipſos implere non poſſumus, ne ignorantes Dei iuſtitiam & noſtram volentes cõſtituere, iuſtitiæ Dei non ſimus ſubiecti. Vere inquit, per legem fidei excluſa eſt gloriatio tua, qua de legis obſeruatione tumebas: quia nos apoſtoli [arbitramur] id eſt, certi ſumus, [Iuſtificari] quemlibet [hominem per fidem ſine operibus legis] præcedentibus. Non ideo enim Apoſtolus hoc dicit, vt ſi quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari: ſed ideo potius, vt nemo putet meritis priorum bonorũ operum ſe peruenijſſe ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc enim ſe gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præferre cupiebãt, quòd dicebant ſe meritis bonorum operum, quæ per legem ſunt, peruenijſſe ad euangelicam gratiam. Ideoque ſcandalizabantur multi
C qui ex Iudæis crediderant, quod incircunciſis gentibus Chriſti gratia traderetur. Vnde nunc Apoſtolus dicit poſſe hominem ſine operibus, ſci licet præcedentibus iuſtificari per fidem. Nam iuſtificatus per fidẽ, quomodo poteſt niſi iuſte deinceps operari, quamuis nihil antea iuſte operatus ad fidei iuſtificationem peruenerit, non merito bonorum operum, ſed gratia Dei, quæ vacare in illo non poteſt, cum iam per dilectionem bene operatur? Quòd ſi cum crediderit, mox de hac vita diſceſſerit, iuſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia peruenit: nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur. Vnde manifeſtũ eſt, quia quòd Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, non ita debet intelligi, vt accepta fide, ſi vixerit, dicam⁹ eum iuſtum etiamſi male vixerit, ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequũtur enim iuſtificatũ, nõ præcedũt iuſtificandum. De illis autẽ, qui poſt acceptionẽ fidei nolunt bene operari, teſtatur Iacobus, quia D
fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. *Iacob. 2.*
Poſt hæc Apoſtolus vt oſtendat & gentiles ad iſtam gratiam debere ſuſcipi ſicut Iudæos, ait: [An Iudæorum DEVS tantum?] Quaſi dicat: Vos putatis quòd ad vos tantum Deus pertineat, & vos ſoli gratiam eius ſuſcipere debeatis. Sed nunquid hoc verum eſt? An Iudæorum tantum eſt Deus? [Nonne eſt etiam gentium] ſicut Iudæorum? [Imò] id eſt, magis hoc eligam dicere, quia eſt [& gentium] & Iudæorum, id eſt, omnes homines fecit, & ſimiliter de omnib⁹ cura eſt ei. Nõ ſolùm vobis, ſed & gentibus venit Chriſtus, vobis ex lege promiſſus, ſed ad illas miſſus. Propterea multò magis & gentium, quia ante legem ſancti in præputio placuerunt Deo. Ob hoc enim dixit, [imò & gentium] vt oſtenderet magis gẽtes, quoniam antè fuerũt ſancti præputiati quàm circunciſi & Abraam ante circunciſionem fide iuſtificatus eſt. Sed Iudæi tumendo dicunt: Gentes idôla colendo, Deum dereliquerunt. Quibus re- E
ſpondetur: Et vos. Sed nos, inquiunt, cõuertimur. Et illi, Nobis, aiunt, Chriſtus venit promiſſus. Et
illis. Non ergo veſter tantum eſt Deus, quoniam *locus ob-*
ex Adam nati ſumus, & per prophetas prædictum *ſcurus.*
eſt, gentes CHRISTO credituras. Vere gentium Deus eſt ſicut Iudæorum. Quod cum aliis modis poſſit probari, hoc vnum pono, [quoniã quidem vnus eſt Deus,] non plures dij. Et in hoc apparet vnus eſſe omnium, quia iuſtificat omnes per eandem cauſam: Nam [circunciſionem] id eſt, circũciſos [iuſtificat ex fide, & præputium] id eſt præputiatos [per fidem, hoc eſt enim ex fide, quod per fidem. Nam nec circunciſio, nec præputium ſine fide iuſtificatur. Et quandoquidem homo iuſtificatur per fidem ſine legis operibus, [ergo legem deſtruimus per fidem? Non, ſed ſtatuimus.] Quod Iudæus poſſet inferre, ipſe apoſtolus ſub
interrogatione infert, vt remoueat. Quia, inquit, F
per fidem iuſtificari dicimus quemlibet hominem ſine legis opere, ergo per fidem deſtruimus legem? [Abſit] vt deſtruamus eam. [Sed] potius [ſtatuimus] id eſt, firmã & ſtabilem eſſe facimus [legem.] Per legem enim, cognitio peccati: per fidem impetratio gratiæ contra peccatũ: per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati: per animæ ſanitatem, libertas arbitrij: per liberum arbitrium, iuſtitiæ dilectio: per iuſtitiæ dilectionem, legis operatio. Ac per hoc lex non deſtruitur, ſed ſtatuitur per fidem: quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur, gratia ſanat voluntatem qua iuſtitia libere diligatur. Vel ita: [Legem ergo &c.] Quoniã apoſtolus dicebat hominẽ iuſtificari per fidem ſine legis obſeruantia, ne Iudæi dicerent, Legem ergo, deſtruis, in qua omnes qui crediderunt iuſti, circunciſi fuerunt, Non ſoluo, ait, non deſtruo, ſed confirmo, dum hanc prædico circun
ciſionẽ quam illa prædixit. In nouiſſimis, inquit, *Deut. 30.*